DE PUGNA CANNENSI

- Hermann Hesselbarth -

DE PUGNA CANNENSI.

Dissertatio inauguralis

quam

consensu et auctoritate

Amplissimi Philosophorum Ordinis

in

Academia Georgia Augusta

ad summos in philosophia honores

rite capessendos

scripsit

Hermann Hesselbarth.

Gottingae.

Typis expressit officina Hoferiana.

1874.

Theodoro Mommsenio

Präceptori Carissimo

D. D. D.

Auctor.

In vetere historia cum duo ubique quaestiones sint, una de scriptorum natura, altera de rebus gestis, in pugna Cannensi ad utramque paullo certius aliquid proferre et operae pretium esse et rem acriter perscrutanti licere confido. Atque de rerum gestarum serie neminem fugit Polybii narrationi multo plus quam ceteris tribuendum et paene soli insistendum esse. Etenim adeo paucis rebus a veritate aberrat, ut quae de pugna difficultates extent in intelligendo magis quid ipse senserit, quam in corrigendo quae peccaverit versentur. Hujus igitur primum narrationem persequar: in quo, siquid aut de Polybii sententia aut de ipsis rebus aut a ceteris aut a me dubitatur, paucis disputandum est. Hoc quasi fundamento rerum gestarum constituto quae de quaque re annales ceterique scriptores tradiderint ex Livio maxime elicere conabor. Postremo quibus ex fontibus Polybius, Livius, Appianus, Zonaras sua quisque hauserit iique ipsi quales fuerint comprehendam.

Hac in re tractanda via et ratione usus jam solum Polybium sequens rem totam enarrabo.

I.

Hannibal cum anno 537 a. u. (217 a. C.) Campaniam totam vastavisset, praeda ingenti potitus ad Gereonium castra metatus est: id oppidum a Luceria viginti quinque milia passum abest ita ut situm sit ad septentrionem: id quod inde concludimus, quod M. Minucius magister equitum ad fines agri Larinatis adversus Hannibalem consedit (III, c. $101_{,3}$). Is cum Hannibale primum proelio non infelici conflixit, deinde aequato cum Qu. Fabio dictatore imperio a miserrima clade collegae adventu vix liberatus est. Quo facto et Hannibal ad Gereonium rediit et Q. Fabius in summam imperii restitutus hiberna quieta habuit usque ad initium anni sequentis [1]).

1) Errat Polybius, quoniam paullo prius semestri imperio finito consulibus castra tradidit. cf. Liv. XXII c. 32.

c. 106. Tum Cn. Servilius M. Atilius prorogato imperio castra accipiunt. Consules novi C. Terentius Varro L. Aemilius Paullus senatum habentes mittentesque quantum militum ad propositum [1]) deesset Romae manent: illos jubent gravius proelium nullum committere, crebris tamen excursionibus tironem militem stipendiis assuefacere: id quod illi strenue et sapienter facere videbantur.

c. 107. Igitur hiemem verque totum in hibernis conterebant. Sed frugibus jam commeatum suppetentibus Hannibal inde a Gereonio profectus Cannarum, oppidi jam antea subversi, arcem cepit. Eo enim commeatum e tota regione colligi, collectum exercitui pro necessitate suppeditari videbat. Quo facto in magnam rei frumentariae difficultatem Romani duces venerunt. Igitur crebras litteras Romam mittentes, quid facerent, quaerebant. Nam si hostes appropinquassent [2]), propter dubia sociorum studia pugnam se non facile recusaturos esse. Senatus decrevit, ut cum hoste confligeretur: proconsules ut se continerent: consules ad exercitum se conferrent. Propositum autem erat [3]) octo legionibus iisque plenioribus dimicare.

c. 108. Itaque Aemilius cum collega ad exercitum profectus est et statim post adventum contionem habuit. — c. 109. —

c. 110. Postero die adversus Hannibalem egerunt dieque sequenti a sex milibus passuum castra ponunt [4]). Inde Paullus, cum loca omnio aperta videret, hostem autem abundantem equitatu, nullo modo procedendum esse censet

---

1) cf. adnot. 3.

2) Castra Hannibalis, quorum c. $110,_{11}$ demum mentio fit, fuerunt sine dubio prope Cannas: idquod apud Livium c. $43,_{10}$ invenitur·

3) προέθεντο: reddidi plusquamperfecto. Neque enim cum Nitzschio facere possum, qui (Kieler Monatsschrift 1854. pag. 71 sqq.) tum demum sex novas legiones conscriptas esse putat, cum antea duas modo in armis habere voluissent. Nam Pol. c. $100,_3$ non solum supplementum missum narrat, sed τὸ ἐλλεῖπον πλῆθος ἔτι τῶν στρατιωτῶν πρὸς τὴν ὅλην ἐπιβολήν, prospiciens sine dubio ad hunc ipsum locum. Ceterum in castris Fabianis erant quattuor legiones, si Livium c. $32,_1$ sequimur, secundum Polybium ut videtur, vel plures. Nam e c. 88 Fabium quattuor legiones (duas secundum Livium XXII c. $11,_3$) conscripsisse, Servilianas (duas) junxisse comperimus. Porro post Cannas captas non legiones scripsit aut in castra traduxit Paullus, sed statim post adventum contionatus est apud milites tanquam δεύτερον ἤδη ἐνιαυτὸν stipendia facientes.

4) Magnis sane, si inde a Gereonio, itineribus contenderunt, siquidem Tellius (Philol. XI p. 105) agrum Larinatem a Cannis 12 milia geographica abesse dicit. (Unde comperuerit, nescio.) Sed c. 107 non impedit, quominus castra aproconsulibus aliquantum promota esse existimemus: quamquam Coelius ad Gereonium consules advenisse narravit. cf. p. 21.

collega contra nitente ob inscitiam rei militaris. Verum enimvero Varro, cujus die sequenti imperium erat, nihil commotus obsecrationibus collegae exercitum producit, hostes in agmen impetum facientes pellit. Postero igitur die Paullus, quoniam abducere legiones nequibat, duabus partibus exercitus *κατεστρατοπέδευσε παρὰ τὸν Αὔφιδον ποταμὸν καλούμενον*, (qui solus transfluit Appenninum — cetera —) tertia parte *πέραν τοῦ ποταμοῦ* [1]) in orientem versus duo milia quingentos passus a suis, paullo plus ab hostium castris castra communiit, quae et ipsius frumentatoribus praesiderent et hostibus imminerent

Hac e narratione apparet Polybium statuere Romanos inde a Gereonio profectos tum primum Aufidum attigisse ideoque hic potissimum de eo flumine pauca adicere. Quare siquis eos jam antea flumen transgressos esse contendit, certe cum Polybio res erit. Et ista ipsa sententia qualis sit in posterum sepono: qua in re nitatur paucis monendum est. Etenim movit doctos fluminis totiusque regionis situs et conformatio a Swinburnio [2]) ceteris exposita atque descripta. Quae infra ne nobis quidem neglegenda est. Nunc in sola Polybii narratione persequenda ne quis ejus respectum agat, tantum dico: Polybium ut rei militaris peritissimum motus exercituum tam penitus animo effictos habuisse tamque accurate et ad intellegendum apte explicavisse, ut neque coniciendo quod praetermissum esse existimemus narrationi subvenire neque vero nisi tabula aut descriptione regionum adhibita intellegi eum posse negare liceat. Id cum ceteris tenendum sit, quid hic faciendum esse arbitrabimur, ubi ipse quod ad intellegendum usui fore crediderit dilucide c. $110,_9$ exposuerit? Quare non sic legendus est, ut gyros quibus Aufidum curvari periti locorum narraverint respicias: nihil enim de iis apud Polybium: sed ut animo fingas recta fere via flumen per campos decurrere. Nec tamen versus ipsum orientem: nam acies Romana in meridiem spectans a dextra parte flumine circumscribitur (c. $113,_3$). Quodsi quaeras utram in partem inclinetur, versus septentriones docet Polybius: non enim in meridiem, quoniam minora castra dextra in ripa *πρὸς τὰς ἀνατολάς* poni facit eaque ipsa, ut videtur, aliquantum a fluvio remota, siquidem aquatores inde a Numidis pelluntur.

---

1) Id est a dextra parte. Item Livius (vel Coelius) ex eodem scriptore Romano (cf. p. 17) „trans flumen", quod verbum, si maxime e meridie iter fecissent, nemo Romanus usurpasset.

2) Travels in the two Sicilies London 1783. I. p. 167 sqq. (Uebers. von Forster I. p. 196 sqq.)

c. 111. Hannibal autem, redeamus enim ad narrationem, ubi hostes in manibus vidit, contione habita *παραχρῆμα κατεστρατοπέδευσε ποιούμενος τὸν χάρακα παρὰ τὴν αὐτὴν πλευρὰν τοῦ ποταμοῦ τῇ μείζονι στατοπεδείᾳ τῶν ὑπεναντίων.* Quod ut faceret flumen ei traiciendum fuisse quis est qui non videat? Apparet item supra castra majora id factum esse, quando postea aciem contra Romanos instruxit a meridionali parte.

c. 112. Diem insequentem cum in comparatione rerum necessariarum uterque exercitus consumsisset, postridie Hannibal aciem instruxit. Sed Paullus cum nec loca ei arriderent et hostes eo loco mox depulsum iri videret commeatus difficultate [1]), exercitum continuit. Aquatores tamen, qui minoribus ex castris ad flumen aderant, a Numidis compulsi Varronis militumque iras stimulaverunt. Romae omnium animi expectatione erecti.

c. 113. Tum Varro simulac postridie imperium accepit, exercitum ex majoribus castris trans flumen transductum continuo explicavit junctisque qui in minoribus erant aciem sic instruxit, ut equites Romani dextram ad ipsum flumen, socii laevam alam tenerent, pedites medii essent: toti aciei praeposuit levem armaturam. Summa copiarum erat pedestrium ad octoginta [2]), equitum plus sex milia. Eodem tempore Hannibal Aufidum transgressus Baleares et hastatos toti exercitui anteposuit. De ceteris copiis Iberos Gallosque equites flumini, laeva a parte id erat, apposuit, deinde Afrorum dimidium, post Iberos Gallosque, tum alteram partem Afrorum, postremo equites Numidas collocavit. Tota acie erecta medios Iberos Gallosque aliquantum produxit, ut cuneus ceteris emineret

c. 114 Summa erat exercitus ad equitum decem, peditum quadraginta milia. Dextrum Romanorum cornu erat Paulli: Varronis laevom. Pedites M. Atilius [3]) Cn. Servilius regebant. Carthaginiensium laevae alae Hasdrubal, dextrae Hanno, peditibus ipse Hannibal cum Magone fratre praeerat. Romana in meridiem, Carthaginiensium acies in septentrionem spectabat.

---

1) Neque enim jam ex Cannis et fecundissima illa regione frumentari eum sinebant minora castra media interposita.

2) septuaginta dicere debuit cf. p. 9.

3) Falso hic ceterisque locis Atilium Servilio adjungit (cf. Liv. XXII c. $40_{,6}$), ut Tellius (Philol. XI p. 103) suspicatur, deceptus L. Atili quaestoris nomine in occisorum numero invento.

c. 115. Initium proelii factum est [1]) a levi armatura: deinde Iberi Gallique Romanorum dextros equites gravi proelio vincunt, victos praeter flumen insequentes trucidant. Simul legiones medios Iberos Gallosque aggressae facile vertunt: mox acrius prementes tantum prorumpunt, ut inter Afros mediaetenerentur.

c. 116. Paullus, qui a dextro cornu ad Servilium confugerat, hortabatur Romanos: item Afros Hannibal. Interim Hasdrubal cum Iberis Gallisque fugitivis paene omnibus extinctis a laeva parte Numidis parum validis in equites socios auxilio venit. Quibus conspectis socii in fugam se coniciunt. Tum Hasdrubal valde prudenter hos quidem omittit Numidis ad persequendum eximie idoneis, legiones ultro a tergo invadit [2]) Quo facto Romani undique clausi omnes cum ipsis ducibus interierunt.

c. 117 versatur in enumerando, quot Romani et Carthaginienses mortui, quot capti, quot elapsi sint. Et in numeris Romanorum occisorum elapsorumque non eam quam Polybio habere consueverimus fidem inesse ad Livi caput 49 docebo. Nunc quod ipsum sibi non satis convenit accuratius tractandum est.

Ac primum quidem constat, quem c. 113,$_5$ Polybius copiarum numerum fuisse significet, eum ad ipsam aciem falso referri, sed decem milibus quae in castris relicta erant additis expleri. Quod eo facilius commisit, quod hujus demum capitis §. 12 mentionem eorum fecit. Hoc perspecto dubitari non potest, quin decem illa milia in §. 2—4 item falso comprehendantur.

Succurrit illud §. 3 non levi laborare corruptela. Offendunt quae in codicibus leguntur *ἐκ δὲ τῶν πεζῶν μαχόμενοι μὲν ἑάλωσαν εἰς μυρίους, οἱ δ' ἐκτὸς ὄντες τῆς μάχης, ἐξ ἀυτοῦ δὲ τοῦ κινδύνου τριςχίλιοι μόνον ἴσως — διέφυγον.* Nam si verbo *μαχόμενοι μέν* opponi *ἐκτὸς ὄντες τῆς μάχης* putas, recte quidem id fit: quando qui in castris relicti erant proelium sane inierunt, pugnae tamen expertes erant. Sed quid *οἱ δέ* sibi velit quaero. Respondes partem *τῶν μαχομένων* esse, scilicet octo milia hominum qui de praesi-

---

1) *τὰς μὲν ἀρχὰς αὐτῶν τῶν εὐζώνων ἔπισος ἦν ὁ κίνδυνος* codd. Pro *ἔπισος* Dindorfius *ἐπ' ἴσῃ*, Hultschius *ἐπ' ἴσον*. Mallem totum sustulissent: neque enim post *ἅμα δὲ* quicquam ei respondet. Simillimus esset locus II 28.$_9$: *αὐτὸς ὁ κατὰ τὸν λόφον ἐνειστήκει κίνδυνος.*

2) Quo modo, in manibus est: namque equites praeter flumen insecutus ultro post hostium terga devenit, mox usque ad socios equites processit. Eos cum solo adventu fugasset, vertit se in legiones. Non profecto opus fuit aciem utramque circumvehi, id quod Haggio (Jahns Jbb. Bd. 73 p. 187) placere videtur.

dio illo superfuerint. Dummodo essent qui praeter eos capti esse viderentur. Tenetur enim hoc crimine Polybius, quod mortuos ad duo milia hic in captivorum numero habuerit. Etenim totas in pugna legiones occubuisse (c $116,_{11}$; VI c. $58,_{4}$), captos autem omnes (*οἱ ζωγρηθέντες*) *ἐκτὸς γενέσθαι τοῦ κινδύνου* (c $117,_{7}$) confessus est. Quocirca hanc opinionem tueri non possumus. Censuit Perottus ejicienda esse verba *οἱ δ' ἐκτὸς ὄντες τῆς μάχης*. Sed non opponi possunt *μαχόμενοι μέν* et *ἐξαὐτοῦ δὲ τοῖκινδύνου*. Requirit etiam §. 7 illa verba. Manifestum enim est, praesertim si Hultschii praeclaram conjecturam *κατά τινα τοιαύτην αἰτίαν* probamus, explicari hac sequentibusque paragraphis quomodo extra pugnam fuisse decem illa milia dictum sit, sicut §. 10 sqq. quomodo *ἑάλωσαν* Satisfacit, ni fallor, loco *ου δ' ἐκτος ὄντες τῆς μάχης* Neque vero ubi *οὐ* in *οἱ* fuerit corruptum, quemadmodum *ἐκτός* pro *ἐντός* irrepere potuerit, obscurum est

Restat in enumeratione tria paene milia hominum deesse. Nam duo milia equitum secundum §. 12 capta neque qui legit divinare potest neque Polybius si in animo habuisset *οἱ λοὶποὶ πάντες* scripsisset. Sed hoc crimine ipsum Polybium liberare non possumus.

Narrat igitur haec:

Haec est pugna Cannensis, quae optimos viros habuit tam victos quam victores: id quod ipso eventu patefactum est. Nam de sex milibus equitum septuaginta cum Varrone Venusiam elapsi sunt: trecenti fere sparsa fuga in oppida evaserunt. Ex peditibus autem proeliantes quidem capti sunt ad decem milia, extra ipsam tamen pugnam Ex ipso autem periculo tria tantum milia in oppida circumsita effugerunt. Reliqui omnes ad septuaginta milia fortiter dimicantes occubuerunt maximo adjumento facto Carthaginiensibus ex multitudine equitum: itaque comprobatum est ad discrimina belli praestare dimidium peditum cum superanti equitatu conjunctum, quam omnes copias hosti pares habere. Ex exercitu autem Hannibalis ceciderunt Gallorum quattuor milia, Iberi atque Afri mille quingenti, equites ducenti. Captivi autem illi Romani extra ipsam pugnam fuerunt tali ex causa. Paullus in castris suis decem milia reliquerat, ut, si Hannibal omnes educeret copias, castris hostium potirentur, sin satis praesidii relinqueret, ipse exiguitate adversariorum adjuvaretur. Capti autem sic sunt. Relicta idonea ab Hannibale manu Romani, dum pugna exardescit, impetum in castra faciunt. Dubio jam eventu Hannibal, ubi primum victoriam adeptus est, praesidio auxilium fert, Romanos ipsorum in castris claudit. Deinde

duobus milibus interfectis ceteros omnes in deditionem accepit. Similiter qui in loca munita ejus regionis confugerant, circumsessos Numidae reduxerunt ad duo milia equitum in fugam conversorum.

Haec Polybius. Jam priusquam ad alteram de scriptorum natura partem accedamus, videamus oportet de dissensione quadam hominum doctorum. Quam non fastidiose aut contemptim, sed quo liquidius aequabiliusque rem deduceremus huc usque seposuimus. Scilicet aliis aliter visum est, utra in ripa Aufidi dimicatum esse vel Polybius tradiderit vel ipsi statuant; neque enim distinguant utrumque necne, semper facile dispexeris. Et ea, quae nostrae contraria est sententia, profecta est a Swinburnio (l. l.), recepta a Niebuhrio (Vorles. III p. 87 ff.), retenta a C. Petero (R. G. I. p. 396) et a Mommsenio (R. G. I. p 610 [1]), probata a Schillbachio (Neurupp. Progr. 1860) et Weissenbornio (ad Liv. c. 46), conjecturarum apparatu aucta ab Haggio (Jahns Jbb. Bd. 73. p 135 sqq). Recte nuper Tellius (Philol. XI p. 104 sqq.) e Polybio rem mihi narravisse videtur, arbitratus ille quidem a solo Haggio se desciscere Questus est idem non immerito, qualem unde Haggius sibi pugnae imaginem effinxerit, non penitus perspici posse.

Sed hoc mihi demonstrasse videor, qui laevam in ripam pugnam transferant, discrepare cum Polybio: e cujus narratione elucet majora castra fuisse in laeva ripa Aufidi, minora trans flumen in orientem versus inter Hannibalis prope Cannas castra et majora Romanorum media fere interposita, ut ab Hannibale paullo plus decem stadia abessent: itaque proelium eadem in regione a Cannis in occidentem versus esse consertum. Haec credo ut a Polybio relata, ita re acta esse. Sed decrevit Schillbachius nullum ea in ripa pugnae locum esse, licet ipse nil nisi colles humiliores [2]) ibi agnorit. Cedamusne loco? An licebit acquiescere in rerum gestarum testimonio? Nam si Hannibal primum aciem direxit hac, postridie illa in parte, quid magis apertum est quam utrimque proelium fieri potuisse? Sed quid secutus Varro meridionalem ripam sibi elegit? Hoc enim magnopere commovit doctos. Arridebant ei fortasse magis ea loca non ex omni parte plana. Sive cavebat homo incautus, ne Hannibalem devictum castra ex fuga exciperent, nisi trans flumen eum elicuisset castraque interim expugnasset: similia, quae enumerare supersedeo. Omitto item, quod plerique excogitandum esse duxerunt, quibus quisque intine-

1) 5. Aufl.
2) Item Swinburnius: low hills.

ribus dextra a ripra Venusiam aut Cannusium effugere potuerit. Plus tribuendum est in loco proelio designando narrationi cuidam Livi et Appiani, quam p. 27 cum Polybio convenire demonstrabo. Fugisse igitur Cannas videntur non mixti ex omnibus copiis milites passim per agros vagati, sed magna pars equitum laevo de cornu. Id si verum est, non mimimum confirmat quam e Polybio eruimus de loco pugnae opinionem. Attulerunt Schillbachius et Weissenbornius locos complures e Silio Italico. In quos tantum dico: Silius si maxime aliquam proelii imaginem sibi effinxit, tamen eam ut a Polybio toto coelo distet. Secundum IX 218 Hannibal aciem — locorum

Consilio curvis accommodat ordine ripis.

Id est collocat aciem propter flumen Enarrat poëta v. 220 sqq., qui duces quibus cum populis laevo in cornu constiterint, item v. 227 sqq., qui

Parte in dextra, sinuat qua flexibus undam
Aufidus et curvo circumerrat gurgite ripas.

Secundum v. 234 Hannibal ipse medium tenit. Tum addit v. 237:

„Sed qua se fluvius retro labentibus undis
Eripit et nullo cuneos munimine vallat“,
„turrita moles“, id est elephanti ponuntur.

Verba „fluvius se eripit“ idem fere esse, quod „ex oculis aufertur“ recte monuit Rupertius (ad l). Quaeritur quanam parte fluvium se eripere statuerit. Si versum 227 respicimus, non dubium est, quin laeva. Quid igitur? Nonne patet fluvium Silio auctore primum dextrum cornu et tergum praeterfluere, deinde e conspectu auferri. Sed non convenit cum Polybii narratione, praesertim c. $114_{,8}$: nisi forte Aufidus ab oriente in occidentem versus fluere cogitur. Ceterum ad pugnam flexus illi ne apud Silium quidem quicquam momenti faciunt.

Quae Swinburnius disputavit de scriptorum sententia, perlustrare non opus est: is enim ut regionibus describendis dilucidus, ita scriptorum tractandorum non satis est peritus. Sed affert idem accolarum ejus regionis testimonium. Nam postquam decertatum esse in septentrionali ripa conjecit, sic pergit: „The scene of action is markedout to posterity by the name of Pezzo di Sangue (Field of Blood).“ Nihil certi inest in verbo „the scene“ Neque vero in iis quae in L'Italia, dizionario corografico (Milano) vol. II sub voce „Canne“ leguntur: „Uno campo presso le rovine di Canne è chiamato anche oggidì Campe di sangue.“ Sed adjicit Swinburnius: „The peasants shewed us some spurs and heads of lances, lately turned up by the plough; and told

us, horseloads of armour and weapons had been at different times carried off from thence." Etiam hoc thence ambiguum posuit. Quid est? Cur non elegantius? Cur sero hoc testimonium attulit? Sic intellegendum esse arbitror. Nempe quo maxime loco reliquiae illae inventae essent, ut in hominibus agrestibus, praesertim cum non in ipso illo pezzo di sangue famam illam perciperet, edoceri nequibat. Id probe scientem hominem cautum puduit quicquam pro certo proferre. Satis igitur habuit „with moral certainty" sententiam suam dicere maluitque re judicata afferre, quod ad insistendum nimis lubricum esse videret

Restat ut ego quoque meam opinionem ad locorum naturam accommodem. Cogito equidem de ea parte, qua Swinburnius (l. l. p. 165) convenienter cum tabula geographica quam Rizzi Zannoni publici juris fecit „for four miles" inde a ponte Canusino sic fluere Aufidum testatur: „sometimes running due east, at others rather to the south, but in general inclining due north-east." Talem enim cursum Polybii narratio requirit, ut et minora castra trans flumen sita in orientem vergere et Romani dextrum cornu flumini apponere potuerint Neque ea pars fluminis a Cannis nimium abesse videtur: siquidem Swinburnius inter pontem et Cannas six miles interesse dicit. Denique si quis quando cum locorum situ Polybii narrationem non satis convenire edocuerit, id tamen tenendum erit in caeli citius regionibus designandis (c. $114,_8$) aut in locorum intervallis definiendis (c. $110,_{10}$) peccatum esse quam in statuendo, utra in ripa pugna constiterit.

II.

Jam T. Livium, de eo enim maxime secundo loco disserturum me esse promisi, omnes qui diligentius de eo quaesiverunt consentiunt totum pendere ab iis scriptoribus, quos quoque loco in usum vocaverit. His autem capitibus cum complures sine dubio excripserit, existit quaestio, e quibus fontibus ea hauserit. Et hac in re nihil prius quaerendum est, quam utrum Polybio usus sit necne. De qua re quoniam homines docti tum in ceteris libris decadis tertiae, tum in XXI et XXII valde dissentiunt, pauca in universum disputanda sunt.

Belli Punici secundi aequales extiterant scriptores et apud Romanos et apud Graecos vel Carthaginienses. Utriusque partis auctoribus usus est Polybius et apud Romanos

Coelius. Solis, .quod quidem nos scimus, Romanis posteriores annalium scriptores [1]). Quae autem in Livi XXI et XXII permanarunt ex Carthaginiensium vel Hannibalis scriptoribus et si quae iis Romano ex scriptore arctius coagmentata sunt, eorum nonnulla ei suppeditasse Coelium certissimum est non Polybium, numomnia ambigitur. Tantus enim interdum cum in rebus tum in verbis consensus Livi cum Polybio est, quantum nisi alter alterum excripsisset fieri potuisse nonnulli negant. Pertinent autem ea imprimis ad pugnas accuratius narratas. Et in singulo quoque loco si quaeritur, utrum Polybio an Coelio Livius usus sit, duo habemus certa indicia, quae Coelium auctorem produnt: unum, si aliquanto uberior rerum Livius quam Polybius invenitur [2]): alterum, si Hannibalis res cum Romanis alio apud utrumque ordine compositae sunt, constituo. Utrumque cadit in Livi de pugna Cannensi capita.

A. Livi XXII. c. 44—47 non e Polybio, sed e Coelio deprompta.

Polybius Hannibalem postquam contionatum esse et castra mutavisse, die sequenti pugnam paravisse narravit, res alienas ab annalibus Romanis quaeque omnino non inveniuntur apud Livium, tertio aciem direxisse tradit, sed Paullo detrectante pugnam in castra postremo copias recepisse solis Numidis trans flumen in aquatores immissis. Hi ubi usque ad ipsa castra minora evecti sunt, *ὅ τε Γάϊος μᾶλλον παρωξύνετο τά τε πλήθη ὁρμὴν εἶχε* Eadem Livius inde a §. 4 refert Sed insuper comperimus procursationem Numidarum directa statim acie factam, altercationem inde in consilio consulum seditionemque militum ortam esse, quae lucem commode afferunt verbis Polybii *παρωξύνετο* et *ὁρμὴν εἶχε*.

Utriusque igitur narratio e romano scriptore oriunda sed altera ab altera aliena esse videtur.

---

1) Etiam Coelio eos usos esse non est, cur negemus. A Valerio Antiate Polybium posterioribus in partibus belli Punici secundi (neque tamen in iis quae secuntur) excriptum esse contendit Nitzschius (Röm. Annal. p. 17). Cujus tamen rei prioribus in partibus nullum inesse vestigium concedit.

2) cf. C. Böttcher Fleckeisens. Jbb. Suppl. V. H. 3. p. 361.

Annectit Polybius §. 6, 7 urbem totam metu et expectatione erectam, prodigia et carmina in vulgus pervagata, haud scio an Marciana illa quae apud Livium XXV c. 12 occurrunt. Patet hunc Polybii locum item romano auctori, sed vix eidem deberi.

c. $113,_{1-5}$ redit Polybius ad communem illum cum Livio fontem narratque Romanorum transitum et aciei instructionem. Eadem Livius refert, sed praeterea peditum quoque laevom cornu sociorum fuisse [1]), dextrum legionum. Addit Livius jam hic § 8 partitionem imperii. At Polybius hoc quidem Carthaginiensium rebus inserendum reservavit, adjecit numerum Romanorum eumque, ut p. 9 docui, parum rectum.

Sequitur apud Livium c. 46, 47, apud Polybium c $113,_{6}$ sqq. descriptio aciei Punicae, quae ex socio quodam Hannibalis originem ducere videtur, et eodem ex fonte narratio pugnae. Cui Livius Volturni venti mentionem, Polybius c. $114,_{6}$ ducum Romanorum intulit. Praeterea Livius quamquam ceteris multo brevior, nonnullis tamen additamentis plenior est iisque ob ipsam exiguitatem vix aliunde repetitis neque vero ultro ementitis. Sunt ejus modi additamenta: §. 1 ut quosque traduxerat, ita locabat; §. 6 super umbilicum; praelongi sine mucronibus — brevitate habiles et cum mucronibus, capitis vero 47 tota §. 2. Aperte pugnant cum Polybio quae leguntur c. $47,_{5}$ diu ac saepe connìsi; §. 8 clausere et ab tergo hostes. Gravius est, quod c. $46,_{7}$ Hannoni Polybiano Maharbalem substitutum videmus. Sentimus scriptorem fabulam illam de Maharbale „praefecto equitum“ (Liv. c. 51; Coeli Antipatri frgm. 25 ed. H. Peter Frgm Hist. Rom.) narraturum. Atqui minime Liviana illa providentia est.

Habes igitur Livium ut plerumque Polybio arctiorem, ita nonnullis rebus uberiorem, eundem ex duobus, Polybium e tribus scriptoribus compositum, eos denique ipsos apud illum alternis mixtos, apud Livium, si eximis Volturni c. $46,_{9}$ repetitam mentionem, alterum ab altero exceptum.

Quare firmissimo argumento concludimus esse hunc Livi locum a Polybio alienum.

Dicemusne igitur scriptorem illum Hannibali applicatum ab ipso Livio esse inspectum? Minime vero. Nam ex iis locis quos ex eo fluxisse verisimile est non adeo multis unum (XXI c. $22,_{5}$) ex Cic. de div. I, $24,_{49}$ scimus per Coelium Livio exhibitum fuisse, reliqui adeo cum Ro-

1) cf. p. 19. C. Böttcherus l. l. p. 435 sqq.

manorum scriptorum partibus mixti sunt, ut ab ipso Livio iis junctos esse nemo credat, praesertim cum Livium Graecae linguae non peritissimum fuisse constet. Itaque aut Polybio aut Coelio eos deberi omnes consentiunt [1]). Ne XXVI $49_{,3}$ quidem quin Sileni nomen aliunde acquisitum sit quisquam dubitat. Quare hoc quoque loco, quoniam a Polybio alienus est, Coelium transscriptum esse jure statuimus.

At fieri potuit, ut hanc a Sileno profectam parte (sive ab alio quodam Hannibalis scriptore: neque enim hoc insto, de nomine) e Coelio eligeret, cetera ex ipso illo belli Punici scriptore repeteret. Potuit sane, quamvis non verisimile sit. Est enim non cum ceteris coagmentata, sed paene absoluta. Sed corruit haec ratio, si animadvertimus Livium tot locis dubitationibus veri vexatum nusquam tota tertia decade aequalem auctorem appellare nisi Cincium XXI, $38_{,3}$ et Fabium XXII, $7_{,1}$. Et de Cincio omnia fere dubia sunt. Id tamen affirmari potest neque Polybio neque Livio [2]) primarios inter fontes eum fuisse. De Fabiores magis fortasse dubia cuipiam videbitur. Nam quae in pugna ad Trasumennum lacum a Polybio et a Livio descripta Romanam originem prae se ferunt — Pol. III c. $82_{,3}$—$_8$ [3]), Liv. XXII c. $3_{,7}$—$_{14}$; Pol. c. $83_{,7}$, Liv. c. $4_{,4}$; Pol. c. $84_{,2}$—$_{15}$, Liv. c. $4_{,7}$ — c. 6 — eodem ex scriptore profecta esse certissimum, ex Fabio verisimillimum est. Nam quindecim milia illa in acie caesorum a Fabio memorata (Liv. c. $7_{,2}$) eadem esse cum iis, quae Polybius c. $84_{,7}$ *κατὰ τὸν αὐλῶνα* cecidisse narraverit, quin arbitremur fieri non potest. Ceterum pertinuisse eum numerum ad eos tantum, qui in valle [4]) pugnavissent [5]), de ceteris a Fabio nihil traditum fuisse suadet Polybii testimonium, pati videtur ipsa res: praesertim si in ipso aditu novissimum tantum agmen deprehensum est, legionum vis tota vallem jam ingressa erat. Quare quindecim illa milia a Polybio non aliunde repetita, sed suo loco cum ceteris rebus a Fa-

---

1) cf. Nitzsch N. Rhein. Mus. XXIII. p. 601 sqq. C. Böttcher l. l. p. 351 ff. H. Peter. Fr. H. R. p. CCXX. sqq.

2) cf. Peter l. l. p. CXIII.

3) §. 8 fortasse ex alio scriptore aut ejusdem alio ex loco.

4) Polybio vim attulit, pellectus ni fallor a Livio, Nissenius (N. Rhein. Mus. XXII. p. 565 sqq.), cum in campum praeter lacum porrectum pugnam retulit. cf. praesertim c. $83_{,1}$ παρὰ τὰς εἰς μῆκος πλευράς sqq. Referre oportet descriptionem loci non ad Romanorum, postquam in hostes se converterint, (cujus ipsius rei nulla mentio extat,) conspectum, sed ad Hannibalis per vallem agentis. Cum Polybio Nissenii opinionem pugnare recte sensit H. Peterus l. l. p. CCXXVII: sed Nissenio et Livio plus tribuit quam Polybio.

5) Vestigium fortasse ejus rei est verbum „in acie“.

bio recepta esse videntur. Quid igitur? Adhibuitne Livius ad pugnae narrationem a Polybio certe non depromptam (cf. Böttcher l. l. p. 411) ipsum Fabium? Irritam faciunt hanc opinionem partes ex Hannibalis scriptore ubique admixtae, immo at Coelio totam narrationem assumptam esse declarant. Quocirca, nisi c. $7,_2$ rem nomenque item transscripsit, quo ego inclino, gustavit tamen magis quam combibit fontem illum. Eodem modo res se haberet XXV c. $11,_{20}$ et XXIX c. $14,_5$ (quibus in locis nititur H. Peterus l. l. p. LXXXXIII), si „propior" vel „proximus memoriae rerum" magis quam aequalis Fabius fuisset. Sed non de Fabio sed de alio quodam annalista agitur, fortasse de Acilio. Quae cum ita sint, jure negatur aequalem ullum scriptorem Livius excripsisse.

Objicias fortasse vitam Scipionis, quam et a Polybio et a Livio scribendis libris adhibitam esse demonstrare studuit Friedersdörferus. (De Livio et Polybio Scipionis rerum scriptoribus. Gotting 1869.) Sed ut res Scipionis commentariis sive Laeli sive alius cujusdam contentas fuisse libenter ei concesseris, ita quominus publici juris eos factos Livioque in manibus fuisse credas, impedit Ciceronis ceterorum de iis altum silentium. Non fugisse videtur id Friedländerum, cum in exitu dumtaxat elucubrationis nonnihil infirmans opinionem propositam adderet fortasse vitam illam jam cum annalibus quibusdam conjunctam fuisse. Vellem non in finem quaestionis hanc sententiam detrusisset. Invenisset fortasse a Coelio maxime res Scipionis Livium esse mutuatum.

Ergo nulla relinquitur dubitatio c. $44,_4$—47 esse Coeliana, quibuscum conjungere necesse est c. $44,_1$—$_3$. Eodem enim ex fonte, ex quo sequentia, fluxit. Ne hic quidem Hannibalis res Romanis inspersae sunt, ut apud Polybium. Immo praetermissa est non solum Hannibalis contio castrorumque translatio, sed etiam dies insequens. Rursus, quae leguntur §. 2, 3, a Polybio omissa sunt, ut quamvis non inutilia [1]) tamen ad intellegendum non necessaria.

Demonstratum igitur est capitibus 44—47 Coeli narrationem esse expressam.

---

1) nisi cum Böttchero l. l. p. 436 ripam ulteriorem eam dictam esse putas, quae minoribus castris contraria fuerit.

B. Caput $40_{,5,6}$ item Coelianum.

Continet §. 6 eam, quam c. $44_{,1}$ repetit castrorum partitionem: quod magno documento est eundem utrimque latere fontem. Nam quod nihil inest, quo verba „eodem ferme intervallo quo ad Gereonium“ spectent, id ut apud Livium offensionem non habet. Castra igitur consules faciunt, „ut nova minora essent propius Hannibalem, in veteribus major pars et omne robur virium esset: —: Geminum Servilium in minoribus castris legioni Romanae et socium peditum equitumque duobus milibus praeficiunt.“ Nemini spero in mentem venturum esse alias praeter Servilianas ibi fuisse copias. Nusquam enim factum est his quidem saeculis, ut parti alicui exercitus mixtis Romanis sociisque quisquam praeficeretur, nisi in pugna aut in expeditionem: ut totis castris, necessario. Servilio autem prorogatum erat imperium in annum (c. $34_{,1}$). Itaque vix quasi privatus [1]) aliquis neque tamen collega consulibus adesse poterat. Sua igitur castra habuit. Ceterum valde dolendum est, quod Livius eam rem attigit magis quam explicavit.

Offendunt in §. 7: „Hannibal quamquam parte dimidia auctas hostium copias cernebat“: (quae verba, etsi alium Livius ab hac paragrapho capessit scriptorem, tamen a proximis segregari non possunt. Neque enim in capite 36 talem ullius scriptoris sententiam attulit Livius, ex qua dimidio auctas esse copias efficeretur. Explicatur res hac ratiocinatione. Ad Aufidum teste Polybio (c. $110_{,10}$) minora castra tertia Romanorum pars tenuit. Hanc castrorum divisionem eundem auctorem secutus Livius (vel Coelius) eundem in modum factam esse scribit atque apud Gereonium. Sequitur ut ibi quoque tertia pars exercitus minoribus in castris fuerit. Habes dimidiam partem, quam adjectam exercitui non comperit Hannibal sed oculis „cernit“.

At refellunt hoc proxima Livi verba. Contra est. Sunt enim duo illa milia omnio non ferenda. Equitum quidem quantulum in iis numerum fuisse credamus? Porro cur major pars, facile intellectu, cur omne robur virium in majoribus castris fuisse dicatur, non item. Quid enim? Utrum legio una ceteris tanto debilior erat, ut ejus inertia Servilianum exercitum attenuaret? An sociorum virtus tantopere Romanis excellebat, ut eorum multitudo majoribus

---

1) cf. Mommsen, Röm. Staatsr. I. p. 527 sqq., infra p. 26.

castris robur virium afferret, paucitas minoribus demeret? Non afferunt veritatis lucem, sed quemadmodum locus depravatus sit demonstrant, quae de acie Romanorum tradita sunt. De ea Livius c. $45_{,5,6}$ haec exhibet: „instructas copias flumen traduxit. — Transgressi flumen eas quoque, quas in castris minoribus habuerant, suis adjungunt." Eadem Polybius sic c. $113_{,2}$: *καὶ τοὺς μὲν ἐκ τοῦ μείζονος χάρακος διαβιβάζων τὸν ποταμὸν εὐθέως παρενέβαλεν· τοὺς δ' ἐκ θατέρου συνάπτων τούτοις, ἐπὶ τὴν αὐτὴν εὐθείαν ἐξέταττε.* Constat igitur ex majoribus castris dextram, laevam partem ex minoribus esse profectam. Atqui Livius §. 7: „laevom cornu extremi equites sociorum, intra pedites ad medium juncti legionibus Romanis tenuerunt." Ergo, quamquam imaginem prorsus distinctam aciei Livius non praebet, apparet tamen socios pedites omnes non continuo, at magna ex parte, equites certe omnes [1]) minoribus in castris fuisse: atqui ea sola minimum tria milia fuerunt.

Quamobrem ut tertia fere pars copiarum efficiatur, viginti ante duobus adjiciendum est.

Illud etiam spero omnes concessuros esse, si tantus quamvis obrutus ex parte librariorum culpa apparet cum capitibus illis Coelianis hujus loci consensus, si respicit ibidem adhunc locum, satis documento id esse capitis 40 paragraphos 5 et 6 item a Coelio esse depromptas.

C. De Livi capitibus $40_{,7}$—43.

Longe diversa natura est eorum, quae media ab illis partibus clauduntur. Insunt duae narratiunculae profectionem utraque Hannibalis e castris continens, ceteris quoque rebus simillimae. In summa inopia frumenti sunt Carthaginienses c. $40_{,8,9}$, item c. $43_{,2}$. [2]) Hispani transitionem parant c. $40_{,9}$, item c. $43_{,3}$. Proficiscitur Hannibal crebris in castris ignibus relictis c. $41_{,9}$, item c. $43_{,6}$. Marius Statilius speculatum mittitur c. $42_{,4}$, item c. $43_{,7}$. Suspiciosae medius fidius similitates. Neque eae Livium fugerunt. Inde c. $43_{,6}$ „similiter", ibidem „par priori", mox §. 7 „eundem", §. 8 „eadem". Sed quidnam sibi velit idem consilium bis repetitum ab Hannibale, interroges. Ipse Livius docet, primum id eum secutum esse, ut Romanos evectos in diripienda castra publicae privataeque fortunae plena — divi-

1) exceptis fortasse extraordinariis, ne nimis exigua Paulli ala fieret.
2) Eadem jam c. $32_{,3}$ et c. $39_{,13}$ sqq. legimus.

tias omnes velut objecerat hosti — necopinato oppimeret, deinde ea spe destitutum in castra rediisse, sed cum propter angustias rei frumentariae manere ibi non posset, jam id egisse, ut, quam longissime posset, ab hoste recederet. Eum ad finem similem dolum eum meditatum esse, „ut par priori metus contineret Romanos." Omitto nihilo minus inopiam Hannibalis et Hispanorum infidelitatem bis narratam, etiam Statilium bis exploratum missum offendere. Sed nonne prorsus ridicula atque adeo absurda talis in rebus fingendis [1]) ratio est? Mihi quidem nemo unquam persuadebit scriptorem eum, qui in rebus libere ementiendis ingenio indulgeat, fabulas duas partim simillimas partim contrarias deinceps effutire. Quid enim magis contrarium est, quam Hannibalem primum „velut inescata temeritate ferocioris consulis" gaudere, mox collegae cautioris metu confidere? Esto! Optimo consilio factum esse concedo, ut falsa imagine castrorum hostes idem ad praedandum eliceret, idem ab insequendo deterreret. Sed qui potuit credere „nequiquam detecta fraude" eandem fraudem suspicaturos esse Romanos? Atqui dicit Livius: „ut par priori metus contineret Romanos." Ego si fimum talem venderem, narrarem Hannibalem primum hostes perspecta castrorum solitudine erupturos esse speravisse, deinde ficticiis ignibus ceteris in speciem apparatis latere voluisse. Esset si non divinitus excogitatum, at fortasse ferendum. Quem nunc habemus rerum consiliorumque nexum, ejus aperte est scriptoris, qui cum rem eandem varias in fabulas versam invenisset, neque fictam utramque esse perspexerit, neque alteramutram ut veram elegerit, sed ambas in unum corpus conflaverit atque id ipsum non satis perite.

Sed ne qua dubitatio relinquatur, evolvamus Appianum, qui VII. c. 17 sqq. solam priorem secutus est. Legitur apud eum tumultuarium illud proelium ea quidem re diversum, quod Hannibal secundum Appianum *ὑπεκρίνετο ἡττᾶσθαι*, secundum Livium non invito ei res secus cessit: ex quo quam facile illud exortum sit, neminem fugit. Ne is quidem, quem secutus est uterque, profecto tam ambigue rem posuisset, si rem a Romanis fortissime gestam ut amitteret a se impetrasset. Secuntur castra ab Hannibale relicta,

1) Nam siquis ejusmodi dolum fieri posse credit, factum non esse evincit Polybius, qui Hannibalem, priusquam consules adessent, Cannas profectum esse narrat. Simillima praeterea fabula XXVII. 42 inspersa occurit. Sed cum scriberet Livius „sicut Fabium priore anno frustratus esset" (c. 41,9), nil nisi dolum XXII. 16 traditum recordatus esse videtur. Vix enim credibile est priori quoque anno enarrando simile lucem a scriptore nescio quo allatum fuisse.

exercitus Varronis jussu motus, Paullus male auspicato intercedens, Hannibal in castra redux.

Jam, ut utramque conferamus, prior illa praeclara Romanorum victoria illustrata, ad Varronis temeritatem demonstrandam composita, ad cognoscendam non injucunda est. [1]) Altera nihil nisi dolum ab Hannibale ad fugam tegendam inventum continet. Quare elucet priorem illam ex hac esse amplificatam. Id si ab Antiate factum esse statuo, a veritate non aberrare mihi videor (cf. p. 27).

Restat ut doceam, caput 43 unde desumtum esse videatur. Et Coelianum id esse suadet vicinitas capitis 44 Praeterea quid tandem excogitari potest, cur Livius cum Coelium in capite 40 secutus esset, deinde fabulae illius vel suavitate ad cognoscendum vel severitate in Varronem pellectus ad Antiatem devertisset, jam aliunde fabulam simillimam requisiverit, ad proximam quam tenuem, quam exanguem! quin etiam ad intexendum non aeque aptam. Nam Valeriana paene impune interponitur, quoniam post Hannibalis reditum nihil fere ceteris mutatur. Alteram si Coelius omisisset, Livius inseruisset, quantopere rerum seriem evertere necesse fuit? Sed non evertitur Coeli narratio, immo exposcit fabulam illam. Nescit enim Coelius Hannibalem jam ante adventum consulum Cannas cepisse. Documento est praeter ipsum silentium Livi c. $40,_5$: „ut nova minora propius essent Hannibalem“ [2]) Quis enim est, qui castra a duobus milibus passuum posita, cum quo vergant ostendere velit, propiora dicat ei hosti, qui plus quinquaginta milia inde absit? Nesciebat igitur Hannibalem jam procul abesse. Igitur ut eum amoveret, peropportuna subiit animum fraus neque bellum gerentibus neque scriptoribus inusitata: satis nitida videbatur: arripuit: hereditate accepit Livius. [3])

Debentur ergo, ni fallor, c. $40,_7$—$43,_1$ Valerio, c. $43,_2$ sqq. Coelio.

---

1) Imprimis delectant capitis 42 paragraphi 4—7. Sed, ut solet in ementitis, eaedem vehementer offendunt. Cur enim ad castra potius mittunt Statilium, quam quo c. $43,_7$, si hostium insidias suspicantur, nisi quia scriptor aliter narrationem tueri omnino non poterat?

2) Haec res Polybii capiti 107, quod totum fere annales Romanos sapit, quam maxime contraria quomodo in Coeli narrationem errepserit, nescio: nisi forte quod aput Cannas factum esse legerat, huc falso retulit.

3) Böttcherus l. l. p. 432 recte vidit initio c. 43 ad alium fontem transire Livium: sed cum §. 1—6 ex Sileno §. 7 sequentia ex eodem, quo caput 42, fonte fluxisse contendit, rem turbavit. Id unum non detestor §. 3—5 (non §. 6) apud scriptorem aliquem Hannibalis fuisse. Quominus apud Silenum tale quid fuisse credam, impedit Pol. $111,_8$.

D. Livi caput 48 Coelianum.

Polybius per caput 115, Livius per caput 47 (Coelio auctore, ut supra demonstravi) dum Silenum secuntur, consentientes jam alter ab altero digrediuntur. Polybius enim primum §. 1—3 Paullum ad mediam aciem perfugientem militesque exhortantem facit, scriptorem Romanum secutus, deinde, postquam idem ab Hannibale factum esse addidit §. 4, transit §. 5 ad Numidarum in dextro cornu pugnam Hasdrubalisque *πραγματικὸν καὶ φρόνιμον ἔργον*. Livius (vel Coelius), sicut supra consuevit, a Romanorum rebus etiamnunc abstinet statimque Numidarum pugnam paucis refert § 1. Sequitur §. 2—5 fraus Punica, quae minime Hannibalis scriptorem sapit. Hac exposita venit ad Hasdrubalem. Sed quam foede res luculentissima obscurata, quanto fumo obruta est? „Hasdrubal, [1]) qui ea parte praeerat," — at ipse Livius laevae eum praefecit alae — „subductos ex media acie Numidas ad persequendos passim fugientes mittit" — quid Numidis cum media acie? Tamen quid exponere voluerit magis quam exposuerit, non dubium est, scilicet idem quod Polybius ex Sileno. Nam si resecamus, quae inepte admiscuit, habemus: „Hasdrubal Numidas ad persequendos fugientes mittit, Hispanos et Gallos equites Afris adjungit": sententiam prorsus eandem, modo ne illud „mittit" de justo jussu accipiamus. Sed unde nebula ista rei clarissimae offusa est? Vereor ut impune fraus fraudulenter Hannibali sit imposita Extat §. 2, 3 „quingenti fere Numidae — in mediam aciem accepti." Ecce subductos ex media acie Numidas. Quamquam *ἔργον* profecto neque *πραγματικόν* neque *φρόνιμον* ficticios istos Numidas praesertim equis destitutos ad persequendum mittere. Cumulavit errorem Livius altera culpa admissa. Non intellexit illud „mittit" sive simile quoddam verbum legit. Addidit igitur „qui ea parte praeerat" quamvis ab ipso dissentiens.

Quaeritur, ipse Livius si Numidas quingentos aliunde accitos in scenam induxisset, num personas tam perverse distribuisset? Si apud Coelium nil nisi Sileni dilucidam narrationem invenisset, qualem antea apud eundem, hac in parte apud Polybium expressam esse videmus, potuitne cre-

---

1) Sequor Hertzium, qui valde prudenter ceteras conjecturas removit una Gronovi recepta („equites" pro „pedites") quae nemini non probata est excepto Wittio Salzw. Progr. 1832: is enim eandem atque in Polybio rem latere immerito negavit.

dere, quos Coelius Numidas ad persequendum profectos esse scripsisset, eosdem esse cum iis, quos ipse ab alio quodam scriptore pedites post terga Romanorum constitisse comperisset? Minime vero, sed ab ipso Coelio fraudem illam emit Quid quod demonstrari potest ne potuisse quidem Numidas simulatores induci, nisi ab eo scriptore, qui a Sileno pugnae descriptionem mutuaretur, videlicet a Coelio?

Age enim, conferamus quomodo Appianus (Ann. c. 20) et Zonaras (P. 1418 B.) rem enarraverint. Transitionem simulant non equites Numidae, sed pedites Celtiberi, oppositi, ut videtur, peditibus Romanis (*αντικαθεστηκότων* Zon.) [1]) Ita procul dubio res inventa est initio, non ut est apud Livium. Hannibal enim cur equites potissimum elegit? Num ut equos quingentos Romanis donaret? An quia equitatui Romanorum oppositi erant, scilicet sperans quamvis equis ademptis pedites tamen in equites impetum facturos esse? An vero divinavit abductum eos iri ad mediam aciem, ut haberent, quorum poplites tergaque ferirent? Coelius vidit Numidis pro Celtiberis id negotium dandum esse ceteris omnibus Sileno teste pugna atrocissima occupatis. Coelius vidit in mediam aciem accipiendos esse transfugas. Coelius denique fraudem istam non primus invenit, sed ad pugnam ab ipso narratam licentius quam verisimilius accommodavit. Quid Livius? Nihil vidit, sed confudit transfugas Numidas cum iis, qui contra equites Romanos remanserant.

E. Livi c. 49 et Appiani tota narratio Valerio tribuuntur.

Quod relicum pugnae est, Livius c. 49 refert. Id non solum a Polybio, sed etiam ab iis partibus, quae ab Hannibalis socio originem trahunt, velut ipso fine capitis 48, toto coelo diversum Romanos redolet annales. Oritur quaestio, utrum Livius Coelianae narrationi id adjecerit, an a Coelio ad Silenum adjectum simul cum ceteris sibi vindicaverit. Incipit sic: „Parte altera pugnae Paullus —.“ Weissenbornius contendit significari, etsi non dilucide, mediam aciem: quod quis est qui concedat? Addit eam ita dictam esse videri, quoniam dextrum cornu, tertia a laevo pars, extinctum tuncfuerit. Sed quo pacto alteram a laevo partem

---

1) Non obest, quod a Servilio (Appian. c. 22), qui secundum Appianum laevam tenet accipiuntur. Habent enim cornua *ψιλοὺς καὶ ἱππέας* c. 19.

dicere potuit is, qui non de eo sed de media acie proximum narravisset? Nam Hasdrubal quom Hispanos et Gallos Afris adjunxit, quanam in parte fuit nisi in media acie? Hoc ne Livium quidem fugere potuit: nulli enim usquam reperiuntur Afri nisi pedites, quibus media acies firmata erat ($36,_3$). Quare quoniam non ita, quomodo intellegi potest? Non de loco, sed de tempore intelligendum est. Scilicet opponitur pars altera pugnae non soli Numidarum in dextro Carthaginiensium cornu proelio, sed omnibus quae ubique adhuc facta esse comperimus.

Sed non leves offensiones in narratione insunt. Nam cum finem equestris duce Paullo certaminis jam c. $47,_1$ fecerit, de quibus equitibus Romanis cogitaverit, quo loco omnia facta esse crediderit, merito miraberis. Fac de loco alteram partem dictam esse, quod tamen fieri non potest, sed si maxime, tamen perverse. Nam neque Paullum neque equites ad mediam aciem pervenisse apud Livium legimus. Sed tantas offensiones, quae tamen paucis verbis expediri possent, si apud Coelium invenisset, nonne sensisset sensas amovisset is, qui c. $48,_1$ tam temere adjecisset „qui ea parte praeerat"? Pronior enim hominum natura vitia ultro incurrere quam commissa ab aliis praeterire.

Sed cur probabilitatem sequimur, dum in discrimen veritatis rem agere licet? Inspiciamus enim Appianum: Similia apud eum tum rerum series tum verba sunt:

Liv. c. $49,_2$ omissis postremo equis — pedestre proelium.	App. c. 24 *καταϑορόντες ἀπὸ τῶν ἵππων — ἐπεζομάχουν.*
§. 1 occurrit Hannibali.	*ἐμπίπτοντες σὺν ὀργῇ τοῖς πολεμίοις.*
§. 4 victores morantibus victoriam irati.	(*Ἀννιβου*)*παρακαλοῦντοςτὸλείψανὸν ῆς νίκης ἐκπονῆσαι.*

Consentiunt Romanos in bina castra confugisse, quorum numerus paullo differt apud utrumque: duo milia, quae Cannas pervenissent, capta esse. Quinquaginta milia occisa secundum Appianum iis quos Livius habet numeris paene explentur. Multos senatores, tribunos et centuriones omnes cecidisse dicit Appianus, quorum numeros habemus apud Livium.

Non obliviscamur agi de Appiano, qui quanta cum levitate fontibus usus sit, paene in proverbium abiit. Omissum est ab eo colloquium Paulli cum Lentulo. Etiam Livius nonnulla omisit, pleraque non inconsulto. De Servilio nullam aliam ob causam tacuisse videtur, nisi quod tanta in dissensione scriptorum de ducum in acie positione unum

salutis consilium duceret medias in res insilire properante animo in Paulli exitum. Ne id quidem temere omisit, quod habet Appianus in fine cap 24, *καὶ οἱ λοιποὶ κατὰ μέρος ἐσκεδάσθησαν ἀνὰ τὰς ὕλας*. Non offendit id ab Appiano ante mortuorum numerum positum. Is enim non de toto exercitu, sed de decem milibus, quae cum Paullo et Servilio diutius restitissent, proxima narravit. Livius qui nihil de illis, quid faceret, quos reliquos diceret? Protinus c. 25 Appianus, qua hora inita qua finita sit pugna, addit. Idem fortasse Livius apud communem auctorem invenit, sed praetermisit, quoniam non idem pugnae initium, sed prima luce acies instructas fecerat (c. $46,_1$). Addidit Terenti fugam a se nondum memoratam.

Consentit autem Livi c. 49 non solum cum Appiani c. 24, 25, sed etiam cum proximis ejusdem multo magis quam cum ipso Livio: velut illud ipsum „altera parte.“ Nam discrimen temporis, quod in eo inesse supra demonstravi, non aptissime fit ad ipsius Livi narrationem. Aliter res se habuit apud eum scriptorem, quem uterque in usum vocavit. Neque enim Appianus duas partes pugnae, cum non dixerit verbis, re fuisse non statuit. Quin postquam cornua fugata sunt, quasi integrum quoddam incipit certamen decem milium cum Aemilio in medio positorum, finitur altera fuga, *διέφευγον — ἔνθαπερ οἱ πρὸ αὐτῶν ἐπεφεύγεσαν*. Simul patefacit, quo loco aquibus equitibus pugnatum sit Nam Paullus ab initio in media acie constitit, habuit ab initio, sicut Servilius et Varro, mille equites electos. [1])

Duo ex his argumenta exultant. Primum enim apparet totam pugnae descriptionem, quae sit apud Appianum, ejusdem esse fontis: praesertim cum c. 25 horam eandem initiumproeliandi faciat atque c. 20, adjecta qua hora finis factus sit. Deinde si Livius cum tota Appiani narratione in hoc cap. 48 magis quam cum ipso concinit, quis est qui dubitet, quin ex eodem scriptore pendeat?

Annalista is est recentior. Nam tota pugna plena rerum incredibilium est atque adeo absurdarum At in fine emergit vel veritas vel simplicitas annalium veterum. Nam Livi c. $49,_{16,17}$ quantum momenti afferat ad reipublicae veteris naturam aperiendam, patefecit Th. Mommsenius (Ber. d. Sächs. Ges. 1854, p. 153 sqq.) Unum offendit. Nam tribunos militum quot cecidisse Livius scripserit, quamvis non constet, viginti in eo numero inesse ostendit codex Putea-

---

1) Hos equites Livius dicit non cohortem praetoriam, id quod existimavit Marquardtus Alterth. III. 2, p. 308.

neus (vigintiunudece). Conjecerunt plerique „viginti unus" vel „unus et viginti", Gronovius probante Hertzio „viginti novem". Sed vel hic numerus nimis parvus videtur, cum seni legionum tribuni fuerint. Ignavia credo excellebant prae militibus. Non patitur id Livi c. $53,_1$. Itaque quid relinquitur, nisi ut utroque loco non omnes tribunos respici existimemus? Porro si non omnes, quosnam alios nisi eos, qui cum a populo crearentur in numero magistratuum fuerint? [1]) Creati autem sunt anno 547 a. u. (Liv. XXVII c. $36,_{14}$) viginti quattuor quattuor primis legionibus. Non minor certe numerus hoc anno. Eae enim erant reipublicae tempestates, ut populus vix sua jura tueretur, nedum nová affectaret. Accedit quod ii, qui c. 53 nominantur de tribus primis omnes sunt. Num, quod in una legione non mirum est, de quinque nullum tribunum superfuisse credi potest? Ubi Cn. Lentulus (c. $49,_6$), ubi P Sempronius Tuditanus (c. $50,_{11}$) fuerunt? De solis igitur viginti quattuor quattuor primis et c. $53,_1$ et c. $49,_{16}$ agitur. Quamobrem Gronovii „viginti novem" ábiciendum est, „viginti unus" non statim. Superest enim unus, sed superest non librariorum culpa sed Livi vel potius ejus, quem auctorem habuit. Scilicet Cn. Servilium falso inter eos numerant. Qui cum imperium in annum prorogatum teneret (Liv. c. $34,_1$), quo pacto tribunus creari potuit? Tamen aptius, ni fallor, ad Puteanei „vigintiunudece" scribitur „undeviginti". Nam, quod homines docti fugerunt, ne nimis exiguus numerus fiat, id jam neminem movebit.

Quamobrem quoniam videmus digna esse veteribus annalibus, quae Livius c. $49,_{16},_{17}$ tradiderit, etiam §. 13—15 ex iis servatas esse opinor, velut occisorum numerum. Certe neque Fabius neque alius quisquam Romanus eum, quem Polybius, scripsit numerum. Quid enim cum Cannensibus illis legionibus fecissent? Quare Polybius eum e Sileno habere videtur: item fortasse quae de decem milibus in castris relictis narrat. Nam Coelius, cui Livi c. $50,_4$—51 et c. 58—$61,_4$ debentur, unde sua hausit nisi ex annalibus Romanis? Porro in initio pugnae nihil ejusmodi ab auctore illo coaevo traditum fuisse constat per Livi (vel Coeli) silentium, Polybii vero in numero Romanorum allato errorem.

Veritatis vestigium etiam in Livi et Appiani de iis, qui Cannas fugerunt, narrationibus inesse puto, quando, qui talia fingantur, ne cogitari quidem potest. Convenit praeterea res, ni fallor, cum Polybii c. $117,_{12}$. Capiuntur se-

---

1) cf. legem repetundarum corp. inscr. Lat. p. 58.

eundum eum, qui *εἰς τὰ κατὰ τὴν χώραν ἐρύματα* confugerant, ad duo milia equitum sociorum. Aliter enim *τῶν εἰς φυγὴν τραπέντων ἱππέων* intellegi nequit, quoniam, qui cum Paullo fuerant, occisi sunt *πλὴν παντελῶς ὀλίγων:* neque verbum *τοὺς πλείστους* c. $106,_{12}$ premere opus est. Quos autem Livius Cannis captos esse dicat, equites plerosque etsi non omnes fuisse credibile est. Nam nisi tali casu, qui fieri potuit, ut tria tantum milia peditum, equites mille et quingenti caperentur? Non offendunt Cannae ab hostibus vacuae. Reliquit eas, ut videtur, Hannibal neque sibi (cf. p. 8) neque hostibus usui futuras esse ratus, cum castris eorum insideret. Quare sic Polybii et Livi (Appianique) narrationem conjungi posse ârbitror, ut Cannas duo milia maxime sociorum equitum confugisse statuamus. Quod cui non placebit, alteramutram abicere oportebit narrationem. Ceterum unde Polybius suam hauserit, affirmare non audeo. Silenum auctorem dissuadet Polybii proximis in parágraphis de ea re silentium.

Ergo Appiani c. 19 inde a *τῇ δ' ἐπιούσῃ* — 25, Livi c. 49 isdem annalibus debentur. Jam vix quemquam repugnaturum esse confido, si ea simul cum Livi c. $40,_{7}$ — $43,_{1}$ et Appiani c. 17—19 ab Antiate profecta esse statuamus. Primum enim e Nissenii praeclaris de quarta et quinta decade Livi quaestionibus compertum habemus Livium perpaucos in usum vocavisse scriptores. Appianum vero idem demonstravit uni potissimum auctori se addixisse ut raro ad alium quendam deverteret.[1]) Accedit quod et audacia et consilium in mentiendo eadem insunt. Quid enim victoria illa Romanorum magis digna quam strategemata quattuor congesta? Severitate autem in Varronem utrum temeritatis illa illustratio gravior est an haec ignaviae accusatio? Denique quanta in illa cupiditate et impetu militum suavitas et splendor, tanta in Paulli ad Lentulum mandatis maestitia et magnificentia. Has cui res imponamus praeter Valerium vix habemus. Nam quos C. Peter (Progr. Pforta 1863 p. 59 sqq.) quasi receptacula sentinae cujuslibet facit, Sosylum, Chaeream quique similes fuerint, ex iis Marium Statilium praefectum (Liv. c. $42,_{4}$), auspicium Paulli (App. c. 18; Liv. c. $42,_{8}$), Romanorum occisorum non solum militum, verum etiam senatorum mentionem (App. c. 25; Liv. c. 49) fluxisse quis aequo animo audiat?

---

1) Idem contendunt Hannakius: Appianus und seine Quellen, Wien 1869, et L. Keller: De Juba Appiani Cassique Dionis auctore 1873.

F. De Livi cap. $50_{,1}$ - $51_{,4}$ nihil habeo dicere nisi probabiliter doctos statuisse ex Coelio ea esse deprompta Nam c. $51_{,2}$ adeo concinit cum Coeliano illo, quod Gellius X $24_{,6}$ affert (H. Peter. fr. 25), ut vel iis verbis, quae ipse Coelius ad Catonis de eadem re locum (Gell. ibid. $24_{,7}$), (H. Peter fr. 86) adjecisse videatur: „et (si vis) ipse cum cetero exercitu me sequi" Livi „sequere" respondeat

In cap. $50_{,11}$ autem „translatis in dextrum scutis" ex Coeli fr. 22 „dextumos in dextris scuta jubet habere" orta esse valde probabilis est conjectura. Affirmat praeterea hanc de cap. 50 et 51 opinionem maxime, si quid video, series temporum a Livio neglecta. Tuditani enim eruptio ad noctem pugnam sequentem, Maharbalis dictum cum gratulatione ducum Carthaginiensium conjunctum ad diem pugnae pertinet. Eodem ordine Coelius rem narravit. Alterum enim fragmentum libri secundi alterum libri tertii est.

Haec capita Livi ut pugnam Cànnensem continentia accuratius tractanda existimavi, simul quia aut certa aut probabili conjectura, quos ad scriptores pertinerent, statui posse crederem: id quod in ceteris plerumque lubricum est.

Sed tamen paucis significabo, quid de praecedentibus, quid de sequentibus sentiam.

C. 36 queritur Livius scriptores et numero et genere copiarum, quibus aucti sint exercitus, valde variare. Et unam quidem proponit sententiam hanc quattuor additas esse legiones, ut octo rem gererent. In sequentibus paragraphis una Hertzii emendatio duas expediit difficultates, quas codicum lectio praebet („essent" pro „est", §. 4): unam quod copula, quae vocatur, desideratur: alteram, quod quasi novum testimonium scriptoris ejus affertur, qui nil nisi calculum subduxerit ejus, quam antea Livius proposuit, rationis et subduxerit puerorum magis quam scriptorum more. Nunc vero haec sententia subest: quosdam auctas legiones auctores esse ita, ut quina milia peditum, treceni equites essent, socii duplicem numerum equitum darent, peditis aequarent. Ipse inde Livius calculo subducto, quot apud Cannas pugnavissent, conclusit. Ipsa res similiter apud Polybium (c. $107_{,10}$—$_{13}$), sed non eundem prorsus in modum. Nam τριπλάσιον a Polybio correctum propter VI. c. $26_{,9}$ censeo, non nobis corrigendum esse. Sed Livius quattuor additas

esse legiones, simul auctas omnes esse apud Coelium videtur invenisse [1]) Ceterum reliquos aut idem aut certe additas quattuor scripsisse credibile est. Sola autem decem milia in supplementum scripta apud scriptorem nescio quem fuisse, licet, si verbum premas, ex §. 1 cum Weissenbornio recte concludas, tamen non facile mihi persuadebitur. Livi potius aut errorem in legendo aut neglegentiam in scribendo subesse arbitror. Haut scio an de duabus legionibus urbanis, quas initio anni a consulibus scriptas esse XXIII. c. $14,_{2}$ demum legimus, cogitari liceat.

Etiam ea, quae caput 51 sequantur, ex Coelio pleraque fluxisse mihi persuasi. Documento ejus rei est, quod XXIII. c. $6,_{3}$ Coeli silentio annales quosdam refellit Nam quod alios ei adjungit, eadem, opinor, consuetudine facit, qua unum auctorem quosdam praestantiores similiter dicere solet. Consentit etiam fr. 26 cum XXIII. c. $11,_{3}$ Porro XXII, c. $52,_{1}-_{6}$ et quae artius cum eo cohaerent c. $58-61,_{4}$, cui ascribamus? Num Fabio? At ex eo nihil fere Livium transscripsisse p. 17 docui. An Polybio? At sunt non modo multo uberiora verum etiam partim contraria (cf. Pol. VI. $58,_{2}-_{13}$). An Claudio? [2]) At ex eo alia illa fama (c. $61,_{5}-_{10}$) fluxit. (Acilius fr. 3.) An Valerio? At nulla ejus inveniuntur vestigia. Immo Appianus c. 28 ex eo habere mihi videtur: nam nomen (Gn. Sempronius) falso in aliam illam famam intrusum Antiatem redolet.

Capiti $57,_{7}-_{12}$ de exercitibus nulla fides habenda est. Omitto quod legio tertia falso nominatur (cf. Gessler: De legionum Romanarum apud Livium numeris. Berol. 1866 p 20). Sed, quod scimus ex XXIII. c 14, urbanas legiones initio anni scriptas esse non modo non dicitur sed ne-

---

1) Si quaerimus numerum, qui apud Cannas fuerit, non quem esse voluerint, annalibus magis quam Polybio fides habenda est, qui nil nisi equitum numerum invenisse videtur, qui idem est apud Appianum c. 17. Apud Livium e numero in c. $40,_{7}$ supra restituto nihil certius elici potest. Sed secundum eundem occubuerunt 48,200 (si Madvigii „et rata prope“ recipimus: nam „tanta“ non est ferendum. c. $49,_{15}$), capti sunt 4,500, 17,000 in bina castra, 4500 Venusiam fugerunt. Summa est 74,200. Adde nonnullos, qui ex ipsa pugna aut Cannusium aut alio fugerint, explentur 76,000 Appiani. Hoc in numero acquiescendum est.

2) Nam neque Quadrigarium justum cognomen esse neque, ubi id omittatur, alium scriptorem dici contra Nissenium (Quellenunters. p. 40) satis demonstravit Mommsenius (Hermes I. p. 165). Nuper H. Peterus (H. R. Fr. p. LXXXXVIII) hoc quidem verum esse concessit atque adeo novo argumento affirmavit. At ipse hoc sibi excogitavit, quem Livius Claudium vocet, Quadrigarium esse, sed segregari ab hoc XXV. $39,_{12}$ et XXXV. $6,_{1}$ eum Claudium, qui annales Acilianos verterit. Sed quando unquam „secutus“ eandem vim habuit, quam „is, qui secutus est“?

gatur („ut urbi praesidio essent"). Deinde praeter socios atque servos quattuor legiones ex junioribus conscribi afflictae reipublicae vires non sinebant. XXIII. c. 14_2—$_3$ autem Livius quantum copiarum fuerit enumerans duas initio anni scriptas, quas hic desideramus, memorat, item cohortes agro Piceno et Gallico collectas, servorum denique dilectum, sed de his quattuor tacet. Porro nisi eas sustuleris omnia, quae de exercitibus postea Livius refert, perturbantur

Initio enim anni 540 placuit „duodeviginti legionibus bellum ageri, binas consules sibi sumere, binis Galliam Siciliamque et Sardiniam obtineri: duabus Q Fabium praetorem Apuliae, duabus volonum Tib. Gracchum circa Luceriam praeesse: singulas C Terentio proconsuli ad Picenum et M. Valerio ad classem circa Brundisium relinqui: duas urbi praesidio esse. Hic ut numerus legionum expleretur, sex novae legiones erant scribendae" (XXIIII, c. $11_{,2}$). Cum toto numero convenit, quod duobus annis post bis duabus legionibus urbanis una, ut apparet, Terentio additis viginti tres numerantur (XXV, c. $3_{,7}$): id quod documento est senatum de numero legionum illo decreto stetisse. Et si quaerimus quae tunc scribendae fuerint, cogitari potest de duabus Fabi praetoris, duabus urbanis, duabus M. Pomponi, una Terenti, fortasse etiam de duabus Marcelli, si quis forte non modo ad tempus milites ab eo dimissos esse opinatur (XXIII, c. $48_{,2}$). [1]) Ex his igitur tres jam stipendia faciebant. Ad eas accedunt una Valeri, duae in Sardinia (XXIII, c. $34_{,3}$; c. $40_{,2}$; c. $41_{,7}$ et) XXIV, c. $44_{,5}$, binae Tib. Gracchi Q. Fabi consulum, quas uterque ex Perae exercitu sumserat. Siciliae duae relincuntur legiones. Sed praeter Cannenses legiones (XXIII, c. $31_{,6}$) duas veteres ibi remansisse verisimile est. Nam Cannenses rebus gerendis adhibitas non esse scimus. (XXV, c. 6 sqq.) Sane Marcellus de suis legionibus, quae post XXIIII c. $20_{,3}$ desiderantur, alteram secum mihi videtur adduxisse (XXIIII, c. $30_{,1}$), alteram postea recepit (c. $36_{,1}$). Sed etiam Appius cum navibus exercitum habuisse videtur XXIV, c. $7_{,9}$; c. $30_{,1}$; Plut. Marc c. 13). Neque Syracusae una legione oppugnatae esse possunt.

---

1) Ad tempus dimissi esse videntur. Nam recentes eae erant legiones. Weissenbornius quidem easdem cum urbanis initio anni 538 scriptis esse credit (ad XXIII, c. $14_{,4}$). Sed Romanos in summa inopia militum, cum servos et noxios in exercitus referrent, eas legiones totum per annum Romae retinuisse incredibile est. Equidem nescio, quo discrimine eas e viginti quinque milibus armatorum cum Pera ab urbe profectis eximere velis. At Marcellum legiones etsi scripsisse Livius non narrat, at scripturum fuisse significat. (cf. c. $24_{,5}$.)

(c. $34_{,12}$.) Quare Cannenses legiones pro justo exercitu non fuisse credo, ut praeter eas duabus veteribus legionibus Siciliam obtineri placuerit. Sed utcunque id est quattuor istis legionibus nullus omnio locus est

Itaque XXII, c. 57 exdeterionibus annalibus, fortasse e Valerio, irrepsit. Eodem ex scriptore Appianus c. 27 mutuatus fortasse est, quod a Livio ea tantum re differt, quod Marcellus ipse exercitum Teanum Sidicinum ducit, et quod ejus profectione res Romae gestae finiuntur. Cui Livi c. $54_{,7}$—56 debeantur, discerni nequit, cum idem omnibus in annalibus fuisse verisimile sit

Denique satis probabiliter statuitur c $51_{,5}$—$54_{,6}$ [1]) pariter cum proximis, deinde c. 58—$61_{,4}$, item fortasse c. $61_{,10}$—$_{15}$ ex Coelio esse derivata.

III.

Restat, ut comprehendam, quo quisque scriptor modo pugnam Cannensem narraverit.

Extitit primus apud Romanos auctor pugnae is qui ipse cum exercitu fuerit. In commentariolos, ut videtur, retulerat consulum adventum, exercitus partitionem, iter ad Cannas, collocationes castrorum, consulum altercationem, eductionem exercitus, aciei instructionem. Non dubito quin tacuerit id quod Polybius narrat decem milia in castris relicta esse. Sequebatur fortasse transitio Aemili ad Servilium, fuga Varronis. De ceteris quae rettulerit, quis fuerit, num annalium scriptori res communicaverit, ignoratur. Si tamen ad similitudinem pugnae ad Trasumennum factae eas referimus, Fabi annalibus conjunctas fuisse credibile est [2])

Fabium narravisse credo Cannarum occupationem, senatus decretum (ut sunt apud Polybium), deinde quae ad testem illum oculatum retuli, exitum pugnae, qui est apud Livium.

Ab Hannibalis parte stabat Silenus sciptor et ipse in castris versatus. Tradidit contionem Hannibalis, translationem castrorum, pugnam ipsam, atque id luculentissime, idem

---

1) Ceterum eandem rem Claudius narrasse videtur. Nam XXIV, c. 18, ubi ejus rei mentio fit, ob notam callidorum jurisjurandi interpretatorum ut Claudianum noscitur.

2) Fabium ipsum exercitui interfuisse refellit Liv. XXII $57_{,5}$.

opinor praesidium in castris Romanorum relictum et captum, Romanorum occisorum numerum, quem praebet Polybius.

Hos scriptores pugnae scribendae adhibuit Polybius; nam de c. $112_{,6}-_{7}$ nihil audeo affirmare. Unum ex utrisque corpus studuit conglutinare. Usus tamen est non semper felicissime. Atilium quidem Serviliumque falso statuit consulatu jam defunctos exercitum accepisse, item Atilium apud exercitum remansisse et in pugna cecidisse. Pugnam paene totam cum sumsisset e Sileno, eo deductus esse videtur, ut ei de fortuna Romanorum nimiam fidem haberet. Certe occisorum numerus nimius est. Scripsit res luculenter, nisi quod c. $113_{,5}$ et c $117_{,1}$, similiter c. $117_{,3}$ dissidentes ab ipso numeros tradidit. Paulli contionem ipse videtur adjecisse.

Coelius isdem fontibus usus est sed ita, ut usque ad initium pugnae solum fere Romanum auctorem in usum vocaret. Praeterea non solum omisit Cannarum occupationem senatusque de pugna decretum, sed etiam Hannibalem in castris mansisse, consules simul cum exercitu ab urbe profectos esse narravit, haud scio an contionum Fabi et Paulli texendarum gratia. Inseruit fugam Hannibalis. Iter exercitus non satis distincte scripsisse videtur tenuitatem fugiens. Inde ab initio pugnae ad Poenum auctorem se contulit: eum secutus dextrum cornu Romanorum fusum, mediam aciem iniquo certamine implicatam, laevam alam segni proelio occupatam esse retulit. Hic imposuit fraudem Punicam sive ex annalibus quibusdam sive aliunde acquisitam et ad ipsius narrationem licenter conformatam. Rursus a Sileno accepit Hasdrubalis in terga Romanorum impetum. Quomodo rem continuaverit, nescimus. Finem sane pugnae eundem quem annales Romani fecit, siquidem castra tradita, captivorum redemptionem repudiatam e Coelio Livius servavit.

Valerius Antias, si recte eum in narratione Appiani et in parte Livianae latere contendo, nefanda licentia res gestas adulteravit victoriam primum Romanorum praeclaram licet ab Hannibale libenter concessam ementiendo, deinde fugam Hannibalis in insidias et Terentianae temeritatis documentum vertendo. Ceterum utrumque eo auctore non procul a Cannis factum esse videtur. Aciem utramque suum ad arbitrium ducibus distribuit. Strategemata Hannibalis duo inventa in libris accumulavit fuga simulata et insidiis structis. Idem Paulli mortem sermone supremo exornasse videtur. Exitum pugnae ne Antias quidem violavit.

Livius ducem primarium sibi elegit Coelium. Sed prius-

quam fugam Hannibalis referret, ab Antiate narratinunculam specie diversam, re eandem mutuatus est. Dein ad Coelium reversus fugae illius similitudinem non ad Valeri ingenium sed ad Hannibalis consilium retulit. Coelio igitur duce eum ad Numidarum fraudem devenisset, in salebras foedissime irruit ancipite Numidarum voce deceptus. Tum sive irretitum se esse sentiens sive Valeri tragoediis motus ad hunc devertit. Ex quo cum reliquam partem pugnae recepisset, ad Coelium rediit ita tamen, ut deteriores quosdam annales, Valerium opinor, subsidium haberet et ne Claudium quidem negligeret.

Praetermitto Plutarchum, quem H. Peterus ceteri satis demonstraverunt hoc loco a Livio pendere, nisi quod Hannibalis apophthegma c. 15 inseruerit.

Appianus, si quid video, ipsum Valerium expressit.

Dio autem, vec assecla ejus Zonaras, quos auctores habuerit, difficile intellectu est. Id unum patet Livio eum usum esse. Ex eo enim utramque Hannibalis e castris profectionem sumsit, item Maharbalis ad Hannibalem cohortationem. Ex eodem, licet parum recte, *νυκτός — ἀφῖκετο* (Zonar. P. 1417 D) derivatum esse credibile est. Etiam Antiatem ad pugnam describendam adhibuit. Inde enim strategemata illa, imprimis Volturni *περὶ μεσημβρίαν* (Zon. P. 1418; App. c 20) vehementius flare soliti expectatio fluxerunt. Ad eundem fortasse referenda sunt, quae de senatu post pugnam habito convenienter cum Appiano et Livio refert. (Zon. P. 1419 B.) Dionis frgm. Vales. p. 598 ex ipso Coelio ortum esse credo

Quid Nepos, Florus [1]) ceteri passim tradiderint, conferre operae pretium non est.

Claudi, qui ante diem quartum nonas Sextilis decertatum esse tradiderat (fr. 53), nullum apud scriptores pugnae extat vestigium.

---

1) Is 60,000 occubuisse auctor est. II, 6.